

opus insigne de natura, & gratia contra hos recentes hereticos edidit. Andreas de Vega ordinis minorum, uirtutum linguarum peritus, in hoc etiam concilio Tridentino ad quod ex mandato Serenissimi Philippi tuæ Cæsareæ Maiestatis primogeniti simul mecum fuit destinatus, librum de fide iustificante multa doctrina referens aduersus Lutheranos edidit. Ego denique istorum omnium minimus magnū quoddā opus ante aliquot annos edidi, in quo omnes hæreses, quæ à Christi salutis nostri in cælos ascensione ad hoc usque seculum Ecclesiam inuaserunt, conegssi contra illas omnes singulatim disputans, illarumq; omnium primos Duces, atque parentes prodens: ut uel sic omnibus palam facerem, recentes hæreticos à fecibus olim ab Ecclesia reiectis suas hæreses hausisse. Verum & si ab his omnibus, alijsq; multis doctissimis uiris tam dextre pugnatum sit, ut plane, & aperte de his Ecclesiæ hostibus triumphauerint, nunquam tamen hi resipuerunt, aut insanire desierunt. Quoniam tanta est illorum obstinata impudentia, & impudens obstinatio, ut quamuis aperte uicti, nunquam tamen cedere uoluerint, imò potius duriores inde effecti, et in sua sententia pertinaciores insaniam suam indies auxerunt, tam nouas, tamq; diuersas quotidie inducendo doctrinas, ut nihil aliud illos excogitare merito credamus, quam quomodo eorum quilibet plus possit Ecclesiæ nocere. Nam & si inter illos sepe (ut solet) semper fuit hereticis) de doctrina non conueniat, adeo ut plus alter eorum ab altero distet, quam uterque illorum ab ecclesia: de hac tamen re inter eos omnes conuenit, & hæc amicitia inter eos ineunda potissima causa, & parte amicitia fortissimum uinculum, si summo Ecclesiæ præsidii simul omnes detrahant, illius potestatem eneruent, illius mandatis reluctentur. Isti sunt uere serpentes illi, quos Deus per Hieremiam prophetam minatus est se nobis missurum, quibus (ut ille ait) non est incantatio. Nam furor istis secundum similitudinem ser-

*Impudentia  
obstinatio  
et impudens obstinatio*

*De his ad  
vnum  
58. h. v. t.  
pape  
et d. in abut.*

*Serpentes illi*

*Hier. 8*